



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ieremiæ Prophetæ Threni Carmine redditi

Latomus, Jacobus

Antverpiae, 1587

De Eandem Ex Evangelio Matthæi. Cap. 5.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69084](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69084)

EX MARTIALIS PHALEVCIO,

de vita beata μίμνσις.

Vitam quæ faciunt mortalibus esse beatam,
 Hæc quisquis numero fortè requiris, habet.
 Res relictæ tibi, proprio nec parta labore,
 Et fata qui multo fenore reddat ager.
 Non operosa domus, sed mundo culta paratu:
 Et qui perpetuo luceat igne focus.
 Omne superuacuis ductum sine litibus æuum,
 Raraque principibus cura placere viris.
 Libera mens cura vigili, pectusque quietum,
 Ingenuæ vires, robora firma satis.
 Corpora Pæonij quæ non sint indiga succi,
 Integritas membris semper amica tuis.
 Prudens simplicitas, vsus consortis amici,
 Conuictus facilis, qui vacet arte cibus.
 Libera nox curis, non ebrietate soluta:
 Non tristis thalamus, castus at ille tamen.
 Somnus qui faciat non longas esse tenebras,
 Vnde tuas vires restituïsse queas.
 Quod sis, esse velis, huic nil præelegeris vnquam:
 Nec tua formides fata, nec illa voces.

DE EADEM EX EVANGELIO

Matthæi. Cap. 5.

Hæc sunt mortales, ipso vel iudice Christo,
 Quæ faciunt læta conditione frui.
 Qui neque diuitias animus, neque curat honores,
 Atque odia offensus non inimica gerit;

Peccati

Peccati dolor assiduus, luctusque perennis,
 Esuries ardens iustitiæ, atque sitis.
 Auxilio miseri fratris pia cura fouendi,
 Nullis fœda malis pectora, pacis amor.
 Et grauis infestos hostis tolerare furores,
 Iustitiæ rectum quod gradiaris iter.
 Hæc sunt mortales, ipso vel iudice Christo,
 Quæ faciunt læta conditione frui.

CANTICVM FILIORVM ISRAEL.

Cantemus Domino.

CArmina pangamus Domino, se gloria cuius
 Extulit insigni magnificata modo.
 Mersit equum tumidis, infessoremque superbum
 Fluctibus, & sæuas in maris egit aquas.
 Ille mea est virtus, & læti causa triumphi,
 Laus mea, saluificæ semper & author opis.
 Semper erit Deus ille mihi, fuit vsque parenti
 Ille meo, hunc meritæ laudis honore feram.
 Bellatoris opus validi munusque peregit,
 Et meritò titulum cunctipotentis habet.
 In mare proiectos currus Pharaonis equosque,
 Signaque commotis bellica pressit aquis.
 Purpureis lecti proceres periere sub vndis,
 Et bellatorum nomina clara virum.
 Fluctibus impliciti saxorum more profundi
 Descendere suo pondere ad ima vadi.
 Hic Deus alte tuæ patuerunt maxima dextræ
 Robora, ab hostili nobilitata nece.
 Ingenti cum laude tua, multoque decore
 Prostrata interiit turba inimica tibi.

Iterum